

per elongationē lunæ, ab eodem basilisco armillis suis deprehensam comperisse quod idem sidus quod regulus seu cor leonis dicitur suum verum locū in zodiaco tunc habuerat in gradibus ii, minutis xxx, leonis. Eodem deniq; momento verū locum solis Ptolemæus numerans inuenit in grad. iiii, primis minutis xxiiii, signi piscium, visum deniq; lunæ locum in gra. v, mi, xx, geminorum, post dictum videlicet occasum solis. Quæ quidem loca solis & lunæ acciderunt respectu meridiani alexandrini anno dominicæ incarnationis 150, incōpleto post meridiem diei vigesimisecondi februarii horis quinque minutis primis vnus horæ xxx. Igitur liquet Ptolemæum vera fixorum siderū loca in zodiaco comparasse anno domini incōpleto 150, ad diem xxii, mensis februarii R. homanī calendarii. Ex tabulis autem Alfonsi regis de differentijs aerarū perspicuum fit, differentiam incarnationis nostri saluatoris & Alfonsi regis esse bisextiliū annorū 1251, & dierū 152, quibus cōpletis idem Alfonsus vera fixorū siderum in zodiaco loca verificauit. Perspicuū itaq; est, quo tempore Clau. Ptolemæus loca fixorū siderū in zodiaco cōparauit, & quo Alfonsus castilię rex, quod decuit ostendisse.

#### PROPOSITIO V.

Sidera non erratica a tempore Ptolemæi vsq; ad Alfonsi regis aeram velocioris fuisse motus quā ab aera eiusdem Alfonsi regis vsq; ad annos incarnationis dominicę 1514, completos, succinctim ostendere. Et quia velut ostensum est Ptolemæus fixorum siderum loca verificauit annis R. homanis seu bisextilibus a dominica incarnatione completis 149, diebusq; liii. Et Alfonsus eadem loca vera fixorū siderum cōparauit annis bisextilibus ab eadē incarnatione 1251, & diebus 152, cōpletis ergo Ptolemæi & Alfonsi aerarū differentia erit bisextiliū annorum 1102, & dierum 99. Declaratum deinde fuit, ipsa sidera non erratica, ab Ptolemæi aera vsq; ad Alfonsi aerā mota fuisse gra. xvii, minutis primis viii, de quibus sumpta particula, quanta sunt anni centum de annis 1102, & diebus 99, perspicuū erit fixa sidera ab aera Ptolemæi vsq; ad Alfonsi aerā in centū quis